

Bernhard Friedrich Quistorp


**Ordinis Theologorum in Academia Varno-Balthica Ad H. A. Decanus Berhard.  
Frider. Quistorpius, S. S. Theol. D. Et P. P. O. ... Ad Disputationem Inauguralem ...  
Joannis Jacobi Quistorpii, Metaphys. P. P. O. ... De Christo Legem Et Prophetas  
Non Solvente, Sed Implente Matt. V. 17 ... Pro Summis In Theologia Honoribus Et  
Privilegiis Obtinendis ... Die XIV. Septembris MDCCLIX. Publice Ventilanda ...  
Praemissa Commentatiuncula De Reconciliationis Hominum Cum Deo Per  
Christum Factae Acti Formali, Temporisque, Quo Christus Illam Procuravit,  
Momento, Solemni Hoc Programmata ... Invitat**

[S.l.], 1758

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841422796>

Druck Freier  Zugang







La 1088<sup>1</sup>-23.

Wig. Anst. Lit. g.

V. 257.





17  
ORDINIS THEOLOGORVM IN ACADEMIA VARNO-BALTHICA  
AD H. A. DECANVS,  
BERNHARD. FRIDER. QVISTORPIVS,  
S. S. THEOL. D. ET P. P. O., NEC NON ECCLESIA RVM DYNASTIAE  
ROSTOCHIENSIS SVPERINTENDENS,

AD  
DISPV TATIONEM INA VGVRALEM  
FRATRIS GERMANI,  
DOM. IOANNIS IACOBI  
QVISTORPII,

METAPHYS. P. P. O. AD AEDEM D. NICOL. PASTORIS, ATQVE  
REVERENDISS. AC. SERENISS. EPISC. LVBE C. SLESVIC,  
AC. HOLS. DVCI A IVDICIIS ECCLES.

DE  
CHRISTO LEGEM ET PROP HETAS NON SOLVENTE,  
SED IMPLENTE MATT. V. 17.

A VSPICE SVMMO NVMINE,  
PRO SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS OBTINENDIS,  
IN ACADEMIAE VARNIACAE AVDITORIO MAXIMO

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS  
DIE XIV. SEPTEMBRIS MDCCCLIX.  
PVBLICE VENTILANDAM

MAGNIFICVM DOMINVM RECTOREM,  
ILLVSTRES DVCALES DOMINOS CONSILIARIOS,  
VTRVMQVE SENATVM, O. O. FACVLTATVM DOMINOS  
DOCTORES ET LICENTIATOS, VERBI DIV. MINISTROS,  
PHILOSOPHIAE ET LIBERALIVM ARTIVM MAGISTROS,  
VNIVERSAM STVDIOSORVM COHORTEM, CETEROSQVE  
LITTERARVM ET STVDIORVM SACRORVM FAVTORES,  
PRAEMISSA COMMENTATIVNCVLA

DE  
RECONCILIATIONIS HOMINVM CVM DEO PER  
CHRISTVM FACTAE ACTV FORMALI, TEMPO.  
RISQVE, QVO CHRISTVS ILLAM PROCV.  
RAVIT, MOMENTO,

SOLEMNI HOC PROGRAMMATE  
OBSEQVIOSE, OFFICIOSE ET HVMANITER  
R. FACVLTATIS THEOLOGICAE SVOQVE NOMINE  
I NV I T A T.



**A**CHRISTO et, quae per ipsum facta est, totius mundi cum DEO reconciliatione cum expectanda vnice est generis humani totius salus MATT. I. 21. ACT. IV. 12. I COR. I. 30. IOAN. II. 2., in quaestionibus minime occupantur otiosis, qui modum, quo comparata reconciliatione haec est, indolemque eius ac rationem, temporisque illud momentum, quo illam CHRISTVS perfecit, peruestigare solliciti sunt; sed summa tamen etiam, si qui alias, qui in iis versantur, circumspectione opus habent, vitium nisi ipsorum culpa doctrina coelestis patiat, vel lubrica etiam, quae firma sunt, nec titubare absque salutis dispendio possunt, reddantur. ad mysteria enim vti DEVS in carne manifestatus, ita tota etiam, quam nostro bono is ab aeterno constituit, et in tempore ipso opere procurauit, oeconomia salutis pertinet, ITIM. III. 16. I COR. II. 9. 10., quam licet cum ipse, tum per discipulos dein mundo exposuerit, ingenii tamen nostri finiti pariter atque peccato obscurati rationem habens in generalioribus plerumque tantum substitit, nec ex intrinseca eius possibilitate, sed vel praedictionum accurata impletionem, vel miraculis etiam fidem illi conciliauit. si qui igitur ad specialiora, quae sapientia diuina reticuit, rimando progrediuntur; si quem per imbecillitatem mens, quoad in hac vita degit, numquam adsequetur I COR. XIII. 9. 12., rerum ad oeconomiam salutis pertinentium nexum introspicere tentant, quid nisi prudenter admodum circumspecteque ac caute cogitata sua disponunt, facilius est, quam vt vel fingant, quae ratione omni destituuntur, vel in sanorum etiam verborum hypotyposin impingant, atque sic vel doctrinam introduceant animarum pestem, vel salutarem etiam ob figmenta, quae simplicitati eius naturali adsuunt, ludibrio atque contemptui exponant. in praemtu forent exempla, quibus illustrari haec possent atque confirmari, eademque tam prisci, quam nostri aevi; sed quod prae loquii leges exigunt, rationem iam habens, vnicum illud, quod disputationis inauguralis, cui haec praemitenda fuerunt, argumentum meditandi ansam dedit, recentissima

sima aetas suggestit, discutiendumque paucis mihi sumsi, scopo suffecerit. quaestionem intendo a viro summe reuerendo, DOM. ERN. LVDOV. RATHLEFIO, ecclesiarum neoburgensium pastore primario ac superintendente longe celebratissimo, tres abhinc annos de reconciliationis generis humani cum DEO per CHRISTVM factae actu formali, temporisque, quo illam christus procurauerit, momento, verbis: *was ist das versoehnende in dem Leben unsers Mittlers Iesu?* motam a). incidit in illam vir celeberrimus, cum, quae de modo specialiori, quo crimina nostra CHRISTVS expiauerit, D. RAMBACHIVS commentatus est b), legeret. a toto is passionum quidem illo cumulo, quo oppressum se tandem saluator intellexit, redemptionem nostram vniuersim spectatam deriuat, sed ad passiones singulas atque delicta nostra singula quando descendit, illas haec inter ita distribuit, vt illarum quaelibet delictum quoddam peculiare, quod expiatum illa sit, adsignatum habeat. displicebant viro s. r. haec adeo, vt ferenda illa nullatenus non tantum, sed partium suarum etiam id esse censeret, vt publice, quantum illa habeat, testatum daret. nondum tamen, quod decreuerat, expediuerat, cum, quam ipse propugnabat, causam a difficultate omni minime liberam cognosceret. fallit, ita rationes suas colligebat, RAMBACHIANA quidem illa hypothesis; CHRISTVS nos ita non redemit, vt pro quouis criminum nostrorum genere peculiari passione satisfecerit; sed si opinio illa fallit, quid illud tandem erit, quo nos redemit CHRISTVS? reconciliationis nostrae cum DEO actus formalis in quonam positus erit? CHRISTVS num sub finem demum vitae suae, an per hanc omnem pro peccatis nostris DEO satisfecerit? audiamus ipsum: *unter dem Schreiben leitete ein Gedanke zum andern, und eine Frage folgte auf die andere. wenn in dem Leben Iesu eine iede Leidensart keine Aussoehnung einer besondern Sündenart ist, sind denn die Leiden im ganzen Leben Iesu in eins zusammen genommen, und in ihrem ganzen Umfange unsere Versoehnung? ist eine iede Leidensart des Erlösers, wie ein Theil des Gantzen, für ein Stück der Erlösung zu achten? ist das Leiden und der Tod Iesu am Kreuze ein Hauptstück,* und

A 2

a) des Theologen XIX Stück, 1755.

b) in den Betrachtungen ueber das Leiden Iesu.

und alle uebrige Leiden geringere Theile des Versoehnenden? ist dieses Sterben Iesu und sein damit verknüpftes Leiden an der Seele Iesu das einzige Versoehnende, mit Ausschliessung alles uebrigen, was Iesu begegnet ist? wie sollen wir denn alle diese uebrige Begegnisse nennen, wenn sie nicht zum eigentlichen Geschaefte der Aussoehnung gehoeren sollen? ist's genug, si um unsertwillen, um uns demnaechst am Kreuze zu versoehnen, uebernommene Leiden zu nennen? c) licet igitur, quod exorsus fuerat, argumentum etiam perficeret, difficultatem tamen etiam hanc, qua pressum se sentiebat, quamque nec superatam hactenus a quopiam reputabat, minime reticebat, voto, vt eius solutionem alii molirentur, iuncto, praemioque interposito illi distribuendo, qui omnium optime illam expediuisset. spe sua non excidit. scriptorum duae integrae decades iudicium ipsius exspectarunt, quod tamen non ipse, sed, qui in academia IULIA floret, theologorum ordo, cui illud commiserat, tulit, atque sic contigit, vt, quae promissa erat, remuneratio plur. reuerendo DOM. IOANN. CHRISTIAN. GVIL. MEIERO, copiarum hanoueranarum in anglia concionatori castrensi, decreta fuerit. argumentum is quomodo discussit, neminem facile latuerit, ex quo, quae commentatus is est, vna cum scriptis nonnullis aliis, cum ipso partim, partim minus facientibus, atque iis, quae rei gestae historiam illustrent, praemissis cum ecclesia communicare commodum visum fuit s. R. DOM. RATHLEFIO d), maximeque VEN. DOM. D. KRAFTIVS e) aliique dein eius mentem publice exposuerunt, ad quatuor capita cuncta reuocauerat VEN. DOM. RATHLEF ita expressa f): 1. ist der ganze Stand der Erniedrigung des Sohns Gottes, ist desselben ganze Walfarth auf Erden, sind alle Verrichtungen und Begegnisse desselben in ihrem ganzen Umfange dasienige, wodurch er für die Menschen die Gnade Gottes erarbeitet hat? 2. Hat in dem ganzen Leben Iesu ein jedes Stück eine besondere vergütende Kraft ueber  
ein

c) praef. scripti mox citandi p. 6. 7.

d) s. z. was ist das versöhnende in dem Leben unsers Mittlers Iesu? in einigen Abhandlungen ueber die im Theologen des Iahrs 1755 mitgetheilte Preisaufgabe, herausgegeben von Ernst Ludwig Rathlef, Pastore primario und superintendente zu Nienburg. Nienburg 1756.

e) der neuen theologisch. biblioth. II 9 St. p. 802 sqq.

f) l. c. p. 29. 30.

ein besonders Fehl des Menschen? und hat insonderheit eine iede Leidensart Iesu eine besondere Sünden Art des Menschen getilget? 3. ist der mit völliger Vergießung des Bluts verknüpfte Tod Iesu, so wie alle vorhergehende Theile des Lebens Iesu, nur ein Stück der Genuehuung; oder ist dieser Tod, mit Ausschließung alles uebrigen, das Iesu begegnet ist, die einzige Aufföhnung der Menschen mit Gott. 4. Vnd wenn allein Iesu blutiger Tod unsere Befreyung ist, wie ist alsdenn alles Thun und Leyden des Erlösers zu betrachten? ad singula igitur etiam respondit plur. reuer. MEIERVS, reconciliationis DEI cum hominibus actum formalem intra obscuracionis solum trihorium concludens, atque ab illo tam opera et passiones dulcissimi seruatoris, quae trihorium illud anteuenterunt, quam mortem etiam eius in cruce corporalem arcens penitus atque excludens. quam vellem, vt argumentum hocce, eo saltem, quo factum id est, modo vel examini nunquam subiectum, vel rectius etiam verboque DEI atque ecclesiae nostrae fidei conuenientius id institutum fuisset. carere illo percommode ecclesia poterat, cum iam pridem illud non susceptum tantum, sed definitum etiam, licet longe aliter, quam a pl. reu. MEIERO id factum est, esset. non solum deliqui solis trihorium, et quam in illo patri suo CHRISTVS pro nobis praestitit, obedientiam actiuam passiuamque illa vti hic, sed indefinite omnem, quam inde a conceptione sua ad mortem vsque, nec hac exclusa, patri suo nostrum caussa probauit, adpellat, quando et modum et tempus, quo gratiam patris is nobis recuperauit, definire intendit. audiamus LVTHERVVM: IESVS CHRISTVS, inquit, me redemit, non quidem auro et argento, sed suo sancto ac pretioso sanguine, suaque innocente passione ac morte g). et alibi: reliquae huius articuli (secundi sc. symb. apost.) partes, ordine semet consequentes, nihil faciunt aliud, quam quod talem redemptionem per Christum nobis partam declarant, ac exprimunt, quomodo et per quem confecta sit, hoc est, quanti Christum constiterit, et quid pro ea impetranda insumserit: nempe, quod homo factus, et e Spiritu S. ac Maria virgine sine omni labe peccati conceptus et natus, vt esset peccati dominus: ad haec passus, mortuus et sepultus, vt pro me satisfaceret, meamque culpam, quae mihi luenda fuerat

A 3

E) catech. min. symb. apost. resp. ad sec. artic. edit. RECHENB. 1685  
P. 371.

*fueraſt, perſolueret, non auro, neque argento, ſed proprio et pretioſo ſuo ſanguine h). quibus conſona ſunt, quae in form. conc. doctores eccleſiae paſſim pronuntiant: credimus, docemus, et confitemur unanimiter: quod CHRISTVS vera ſit noſtra iuſtitia - - ſecundum utramque naturam, in ſola videlicet obedientia ſua: quam patri ad mortem vsque abſolutiſſimam DEVS et homo praeſtitit: eaque nobis peccatorum omnium remiſſionem et vitam aeternam promeruit i). ipſus (CHRISTI) obedientia (non ea tantum, qua patri paruit in tota ſua paſſione et morte, verum etiam, qua noſtra cauſa ſponte ſeſe legi ſubiecit, eamque obedientia illa ſua impleuit) nobis ad iuſtitiam imputatur: ita vt DEVS propter totam obedientiam (quam CHRISTVS agendo et patiendo in vita et morie ſua, noſtra cauſa patri ſuo coeleſti praeſtitit,) peccata nobis remittat, pro bonis et iuſtis nos reputet, et ſalute aeterna donet k). fides noſtra reſpicit in perſonam CHRISTI, quatenus illa pro nobis legi ſeſe ſubiecit, peccata noſtra pertulit, et cum ad patrem ſuum iret, ſolidam, abſolutam, et perfectiſſimam obedientiam (iam inde a natiuitate ſua ſanctiſſima, vsque ad mortem) patri ſuo coeleſti pro nobis miſerrimis peccatoribus praeſtitit, qua ſua obedientia omnem noſtram inobedientiam texit: vt ea nobis ad damnationem non imputetur, ſed ex mera gratia, propter ſolum chriſtum, condonetur atque remittatur l). nec, quantum recordor, intra eccleſiae noſtrae moenia fides haec noſtra publica ſollicitata haectenus a quopiam, aut in dubium vocata fuerat, ſaltem inter doctores eccleſiae noſtrae publicos, qui reticuiſſe illam minime deprehenduntur m), fruſtra inueſtigabitur,*

h) catech. maior. ſymb. fid. art. II. p. 494. 495.

i) epitome p. 584

k) ſolia. declarat. p. 685

l) ſolid. declar. p. 697.

m) D. CALOVIVS ſyſt. loc. theſlog. T. VII. art. IV. C. I. p. 426: erat circumciſio Chriſti ſatisfactoria et meritoria, quia hic incepit ſatisfactio et mediatio Chriſti Ef. LIII. 5. C. XLIII. 24. 25. et art. VI. c. I. qu. II. p. 649: obedientia legi praeſtita GAL. IV. 4. non cepit demum in paſſione Chriſti, vel tempore officii euſdem. ſed inde a primo eius ortu: quum ſemper et omni aetate, omni tempore legis obſeruantiffimus fuerit, unde ſub lege fieri voluit in ipſa circumciſione, qua ſe obligabat ad totam legem implendam. D. QVENSTEDT ſyſt. theol. P. III. C. III. memb. II. SECT. I. THEſ. XLIII. p. 253: durationis ſatisfactionis terminus a quo, primum momentum exinanitionis, terminus ad quem triduum mortis eſt, utpote quo vltima legis ſatisfactorii portio ſoluta: omnes enim actus Chriſti a primo conceptionis momento vsque ad triduum mortis fuerunt ſatisfactorii.

gabitur, qui ab illa vel defecerit, vel anceps etiam circa illam haeserit. quid in belgio IAC. ALTINGIVS, linguarum orientalium atque theologiae dein in academia groeningiana professor n), opinatus fuit, non ignoro. eundem, quem pl. reu. MEIERVS, is errauit errorem o). praeterquam vero, quod ad nos is non pertineat, profligata iam pridem cum a MARESSIO, p) tum WITSIO q), quid? quod proscripta etiam publice cum illa IOANNIS PISCATORIS, eius opinio' erat r). nec quae RAMBACHIVS, aedificationi ecclesiae numquam non intentus, scripserat, tanti putari poterant, vt praemio interposito ad arma ideo vocandum fuisset, praeter cogitationem enim piam quid pluris habita haecenus fuerant, quae pro pietatis suae intensiore affectu atque scripturam S. in fucum et sanguinem vertendi studio nimio de expiato a christo hoc vel illo crimine hac vel illa passione is meditatus fuerat? seculi nostri praeterea genius quem latet? cum ad deismum illud vel naturalismum totum propendet, rei profecto sacrae haud recte consulunt, qui de iis, quae salutis et fidei fundamentum attingunt, atque disquisita iam pridem atque definita sunt, ita loquuntur, ac si vel certi nil de illis ecclesia haecenus nouerit, vel nosse etiam possit. quod insulsum cum socinianis deistae ac naturalistae dudum reputarunt redemptionis opus, ridebunt iam prorsus, eoque magis, quo illustrius nacti sibi videbuntur documentum nostrae circa illud fluctuationis, ex quo, in quo quaerendum illud sit, nos inuicem interrogauimus, nostrumque alii in hoc, in illo alii ponendum illud esse arbitrati fuerunt. quod non mutandum, cum factum semel est, ferendum esset, si quae adplausu publico excepta est, responsio s. r. DOM. RATHLEFIO data comparata ita esset, vt scripturae S. librisque

n) vid. Bayle *diction. histor. et critique* T. I. v. *Jaques Alting*, edit. amstel. 1740. p. 171 sq.

o) *epistola ad IOA. RVD. WETSTENIVM*, quae *operum* T. V. p. 393 legitur.

p) *synt. theol.* LOC. X. edit. 1673 p. 554 sqq.

q) *oecon. foed. DEI cum hom.* L. II. C. VI. p. 143 sqq.

r) *form. consensus can. XV: Christus obedientia mortis suae, DEO patri satisfecit, vt in censum tamen vicariae iustitiae et obedientiae, illius, vniuersa eius, quam per totius vitae suae curriculum legi, tamquam seruus ille iustus, sine agendo, sine patiando praestitit, obedientia vocari debeat.*

librisque ecclesiae nostrae symboliis conformis, laudeque hinc illa publica digna haberi posset. sed scandalis adclamationem illam, quam detestetur, in quam numquam consenserit, quam impedire tamen nequiverit, quae imputari vero propterea ipsi etiam nequeat, ipse S. R. DOM. D. CARPZOVIUS, FACULTATIS theologiae in alma IULIA professor longe celeberrimus, pro mentis suae ingenua indole atque in doctrinae coelestis puritatem propensione ad censet s). nec fallere hoc eius iudicium nequaquam, qui rem ipsam paulo curatius pensauerit, facile ambiget, de expiatione criminum nostrorum a christo facta quaeritur, sed sensu tam amplo, ut quidquid patri suo christus praestare debuerit, si a legis non tantum maledictione atque morte aeterna nos liberare, sed spem quoque vitam aeternam, sub legis impletione olim promissam, aliquando ad eundem recuperare nobis voluerit, ea comprehendatur. non de passiva igitur tantum, qua poenas luit peccatis nostris debitas, sed activa etiam eius satisfactione, qua legi, perfecte illam pro nobis implendo, obedientem se per omnia nostrum causa stetit, eiusque meritum vocari sive quaeritur. perfecisse utramque christum, eaque DEVM nobis vere reconciliasse, in dubium non vocatur. quod disceptatur, utriusque ambitum atque tempus, quo illam praestitit, concernit. expertus fuit DEVS saluatorem nostrum legi obedientem per trihorium illud deliqui solis, quo cruci fuit adfixus, sed nec inde a primo conceptionis suae momento ad mortem usque crucis obedientiam illam christus desiderari unquam passus fuit, peccatum prorsus nesciens 2COR. V. 21. 1PET. II. 22. IES. LIII. 9. dirissima quaevis is sub trihorium illud obscuracionis in cruce pendens itidem perpassus fuit; sed cum morte iam paulo antea atque innumeris difficultatibus inde a natiuitate sua per totum, quod emensus fuerat, vitae suae curriculum conflictatus fuerat. quid ergo? virtutem expiatoriam habueruntne singula eius opera atque passiones; an illis, quae sub trihorium tenebrarum demum operatus aut perpassus fuit, ea tantum competit? ad obedientiam eius actiuam pertinentne omnia, quae diuinae legi conue-

s) Schreiben an Herr D. Bértling, a S. VEN. DOM. D. KRAFTIO inserta der theol. biblioth. P. CXIX. p. 815 sqq.

conuenienter suscepit, opera, passiuamque singulae, quas per-  
 tulit, calamitates; an in cruce vtramque demum et inchoauit  
 et perfecit? CHRISTVS egitne expiatorem mundi iam inde a  
 conceptione sua ad mortem vsque crucis; an sub trihorium  
 tenebrarum talem se demum gessit? posterius pl. reu. D O M.  
 MEIERVS adprobat; prius quin a veritate propius absit, nullus  
 dubito. aut nihil enim intelligo, aut I. indefinita illa script. S.  
 dictio. qua expiationem generis humana CHRISTO procurandam  
 cum illius in mundum missione copulat, vt ita statuam, mihi  
 iniungit. *quando venit plenitudo temporis*, PAVLVS inquit GAL. IV. 4. 5.  
*emisit DEVS filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui*  
*sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum acciperemus.* redemptioni  
*ἡ θεοδία* apostolus opponit, quo obedientiam illam geminam,  
 passiuam atque actiuam, ita manifestet, quam a CHRISTO eius  
 pater nostrum causa exspectauerit. sed missum etiam filium  
 a patre ad hoc, vt illam ipsi praestaret, quid? quod incarnatum  
 ob eandem causam atque legi subiectum vocat. tempus vero  
 etiam designat, quo filio illud contigerit: quando venit pleni-  
 tudo temporis DEVS filium suum misit, ex muliere fecit, legi  
 subiecit, vt redimeret nos, vt *ἡ θεοδία* consequeremur. idem,  
 quod missionis, incarnationis etiam atque sub lege subiectionis,  
 redemptionis item atque *ἡ θεοδία* nostrae procurandae tempus  
 adpellatur. eodem ergo, quo missus et incarnatus fuit, tem-  
 pore expiationem etiam nostram inchoauit, nec, nisi verbis vis  
 inferatur, a missione atque incarnatione eius sub lege subiectio  
 ita, vt sub vltimum vitae eius terminum ipsi ea demum conti-  
 gisse, atque redemptionis, et quod *ἡ θεοδία* nostra exigebat, opus  
 inceptum ab ipso consummatumque credatur, separari potest.  
 idem ex hoc quoque loco adparet. *impossibile legis*, idem apo-  
 stolus inquit ROM. IIX. 2. 3. *dum infirmatum est per carnem*, DEVS, *qui*  
*sui ipsius filium misit in similitudine carnis. peccati, et pro peccato, condem-*  
*nauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non se-*  
*condum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* quam a lege labe  
 naturali infirmata deriuari in nos amplius non posse, a DEO per  
 filium suum procuratam nobis esse iustitiam docet. sed nec  
 tempus modumque, quo factum illud sit, reticet: *cum in*  
*similitudine carnis peccati*, i. e. carne s. humana natura, peccato  
 B quidem

quidem ipso haud infecta, sed iisdem tamen, quibus peccatorum caro obnoxia est, infirmitatibus subiecta; *filium suum misit, et pro peccato*, hoc est, ut eius ageret expiatorum; *atque in carne illa ab illo adsumpta peccatum condemnauit*, h. e. valore, efficacia, pondere atque condemnandi nos et reatui mortis nos subiiciendi potestate orbavit, sed gemina nonne erat iustitia illa, qua ante CHRISTI in mundum introitum indigebamus, et per legem impossibilis? illa, quae a vindicta nos liberat, factamque pro peccatis satisfactionem supponit? altera, qua ad gratiam summum numen flecti poterat, atque legis exactam obedientiam deposcit? utramque igitur in filio suo DEVS procurauit, tulit is peccata nostra; sed idem etiam legem pro nobis impleuit, sed quandonam? cum adfixas teneretur cruci? intra solum tenebrarum trihorium? minime! perfecit tum opus hocce, quod iam pridem, cum in similitudine carnis peccati mitteretur, exorsus fuerat. nam pro peccato, et ut in carne eius illud condemnaretur si expiaretur, missus est. idem II. status exinanitionis CHRISTI suadet, versatus in illo CHRISTVS fuit tempore crucifixionis et per trihorium illud tenebrarum, quo acerbissima quaeuis persensit; sed iam pridem, et priusquam mala illa in ipsum irruerent, illum sponte, et ab ipso iam conceptionis illo momento, quo humana eius natura *ἀυχήματα* singula diuina, totamque, qua DEI filius ab aeterno et per essentiam suam gaudet, maiestatem atque gloriam per vnionis illud personalis cum *τῷ λόγῳ* vinculum nacta fuerat, adsumserat, non deponendo quidem et exuendo iterum axiomata illa, quae consequuta fuerat, diuina, sed illorum tamen usu incessante atque plenario *κατὰ σάρκα* se abdicando, serui formam, similitudinem atque habitum hominum recipiens, factusque obediens ad mortem, ad mortem crucis PHIL. II. 6. sqq. quin nostrum etiam causa illum in se suscepit, pro nobis scilicet ut legi, legis alias dominus MATTH. XII. 8. obedientiam perfectam praestaret, nosque a legis maledictione, ipse maledictio legis factus GAL. III. 13. redimeret, dubitari nequit. *nostis* inquit PAVLVS 2 COR. VIII. 9, *gratiam domini nostri IESV CHRISTI, quod propter vos pauper factus sit, cum esset diues, ut vos ipsius paupertate ditesceretis.* et clarius quid hac in re dici potest eo, quod JESAIAS explicat  
C, LIII.

C. LIII, 1-7. causas is exponit, cur euangelio adeo pauci sint credituri, inter illasque refert, quod sicut furculus MESSIAS adscendat coram populo et sicut radix e terra siccitatis c. 2. en humilem messiae ortum! quod forma illi nulla, neque honor, nullus illi adspetus, nullumque ideo eius desiderium c. 2. en vile atque contemptum. quod inter homines gessit, vitae genus! quod contemptus et cessans virorum; vir dolorum et notus morbi; quasi occultatio facierum ab ipso; contemptus, ut eum non reputauerint, et quod a DEO eum adflitum, percussum et attritum aestimauerint c. 3. 4. en supremum exinanitionis gradum! sed causas is dum etiam explicat, et quo illi versentur errore, notat, nostrum nostrarumque iniquitatum causa id omne ipsi euenisse, et ut nos ita expiaret, *[docet: veruntamen nostros morbos tulit et nostros dolores portauit c. 4. confessus ob praeuaticiones nostras; contusus ob iniquitates nostras: castigatio pacis nostrae super eo et vulnere eius sanitas data est nobis c. 5. omnes nos, sicut grex, errauimus; vir ad viam suam respexit: ideo IEHOVAH incurrere fecit in eum iniquitatem omnium nostrum c. 6. exactionem sustinuit, idemque adflitus est, c. 7. exinanitionis autem hoc statu quid inde a conceptionis momento iam opus fuisset, et quidni ad trihorii tenebrarum illud momentum illum distulisset, nisi iam inde a conceptione sua redemptorem agere decreuisset, atque iustitia DEI, ut iam ante crucem, tamquam qui legi subiectus sit, se gereret, exegisset? adcedit III. ipsa praestandae a CHRISTO satisfactionis tam actiuae, quam passivae indoles. promissum a DEO generi humano in protoplastis erat vitae aeternae praemium, si, quam illis rogauerat, legem perfecte impleverint; sed mortem etiam comminatus illis fuerat, si illam migrarent. ad legem illam paradisiacam positivam de fructu arboris scientiae boni et mali non comedendo ut obedientiam hanc imperatam refringamus, nil vrget. ad illas, quae cordi illorum inscriptae erant, leges aequae ac ad hanc summum numen illos obstrinxerat. explorationis etiam illud tempus, quo DEO ex eius voluntate fidem suam testari tenebantur protoplasti, licet definitum nullibi deprehendamus, nil tamen, cur illud intra paucorum horarum terminos tantum concludamus, etiam adparet, mortem vero quamnam in sanctione illa poenali legi adiecta*

DEVS intellexerit, exploratum pridem theologi tenent, de morte non gratiae atque aeterna tantum, sed corporali etiam omnibusque, quae anteuertere illam solent, ad illamque disponunt, vitae molestiis atque malis eam interpretantes. non seruarunt protoplastae fidem hanc ipsis a DEO imperatam. transgressi fuerunt, quod cum illis DEVS secauerat, foedus. sed mortis sic etiam rei euaserant. at intercedebat CHRISTVS, spondens pro illis patri suo. verum quae spondit, ipso is etiam opere, quod nullus ambigit, dein perfecit. sed in quo, si quae sponderat, exsolueret, posita erant illa, quae ab ipso erant perficienda? nisi me omnia fallant, necesse erat, partim vt legem a nobis violatam perfecte, et per tantum quidem temporis spatium, quod isti, quod ex decreto diuino probandae protoplastorum fidei praescriptum erat, aequipollebat, seruaret, partim vt poenas etiam lueret peccatis nostris debitas, atque sic mortem tam gratiae atque aeternam, quam corporalem, et quae de illa nos erudire queunt, molestias atque mala huius vitae gustaret. quid igitur! angustum adeo temporis spatium, quale illud tenebrarum trihorium, num operi adeo prolixo suffecisset? sed rectiusne sic etiam agunt, qui totum, quo nobiscum CHRISTVS versatus fuit, vitae eius curriculum illi exantlando relinquunt. meritoria est atque satisfactoria non ea tantum eius obedientia et actiua et passiuua, quam sub finem demum vitae, sed omnis, quam per omnem vitam inde a natiuitate sua ad extremum vsque suum in cruce habitum DEO testatus est. IV. de afflictionibus porro CHRISTI ab ipso pro nobis perpeffis script. S. tam vniuersaliter loquitur, vt solas putari trihorias credi nullatenus queat. cum passus pro nobis I PET. II. 21. cum passionibus consummatus HEBR. II. 10. cum ex iis, quae passus est, obedientiam didicisse, atque ita consummatus omnibus, qui ipsi obediunt, salutis aeternae causa factus HEBR. V. 8. 9. dicitur, quis de solis id valere passionibus a CHRISTO sub finem demum vitae superatis, scr. S. indefinite adeo loquente persuaderi sibi passus fuerit? exularet V. ab expiationis opere, si intra trihorii solius terminos CHRISTVS illud exequutus fuisset, afflictionum tota illa atque sat larga sedes, quae, priusquam illis concluderetur, in ipsum cum in horto gethsmane atque palatio

tio deïn CAIPHAE, tum cum a PILATO dimissus ad cranii lo-  
 cum deduceretur, crucique ibidem adfigeretur, irruebant. at  
 si pro nobis tum nihil nondum exsoluit, aut nobis promeruit,  
 quaenam, vt ira tentaretur, adlegari poterit causa? num  
 propria tum forte expiauit delicta sponsor ab ortu san-  
 ctus LVC. I. 35., innoxius, impollutus et a peccatoribus se-  
 paratus HEBR. VII. 26. ? aut vt legem pro se impleret, legis  
 dominus MATT. XII. 8. LVC. II. 28., tantis calamitatibus, quo  
 animum scilicet in illis testaretur submissum patientemque, sub-  
 iiciendus erat? num quo exemplo suo nobis praeluceret, ne-  
 cesse erat, vt ipse DEI filius expauesceret, angeretur, moe-  
 stusque esset ad mortem, ita vt agonizaret, sudorque ipsius  
 vt sanguinis guttae super terram descenderet, confortatione-  
 que angelica indigeret, vt calicem gustaret, cuius transitum  
 multo cum clamore precaretur, vt in faciem eius exspuerent,  
 vt colaphis exciperetur, palmis percuteretur, ligaretur, fla-  
 gellaretur, illuderetur? cum intensissimo, quo in ipsum pater-  
 fertur, fauore MATT. III. 17. XVII. 5. quis haec conciliaue-  
 rit? si vicarium nostrum tum nondum gessit, vellem vt mihi  
 exponeretur, quid praeter mortem corporalem, quam ab  
 opere redemptionis doctissimus DOM. dissentiens ipse tamen  
 arcet, noui aut his omnibus maius in cruce pendens expertus  
 fuisset? et quid? בְּחִבְרֹתוֹ JES. LIII. 5. μάλωπι ἀντὶ ἡμῶν I PET.  
 II. 24. vibice illius nonne sanati sumus? quidni ergo etiam  
 ceteris, quae crucifixionem eius antegressae sunt, eius plagis?  
 vt VI. mortem eius corporalem etiam adringam, satisfactoria  
 illa profecto hoc magis iure omni meritoque censetur, quo  
 clarius scr. S. ipsa illam ita describit, quando pro nobis nostris-  
 que peccatis christum non tantum mortuum ROM. V. 8. I PET.  
 III. 18., atque animam suam victimam pro peccato posuisse  
 IES. LIII. 10. et redemptionem pro multis MATT. XX. 28. adse-  
 rit; sed a morte etiam eius, quod condemnari nequeamus  
 ROM. VIII. 24. quod DEO reconciliati simus COL. I. 22. ROM.  
 V. 10. atque spem hereditatis aeternae nacti fuerimus HEBR.  
 IX. 15. deriuat. si quod ita eaque sine factum est, talemque  
 effectum produxit, satisfactorium non est, quid ita tandem  
 dici queat, me nescire ingenue largior. leuiora denique VII.

illa sunt, quibus pro sententia sua doctissimus MEIERVS depa-  
 gnat, quam vt flecti illis, qui iuste adcurateque illa pensitaue-  
 rit, se vmquam siuerit. in instanti, non successiue is absolutum  
 fuisse redemptionis opus credit, totusque propterea in eo est,  
 vt illud confirmet. nec male sic aciem suam instruxit. causa  
 caderem, ingenue largior, si probari id posset. tenebrarum  
 solum trihorium, atque illud eius praecise momentum,  
 quo a DEO derelictum redemptor se confessus fuit, operi redem-  
 tionis exantlando sufficeret, nec nisi temere per totum, quem  
 absoluit, vitae suae cursum is insudasse illi a me pingeretur,  
 actionesque longe plures passionesque a me fingerentur et  
 satisfactoriae et meritoriae, quam praestitae vmquam ab ipso  
 sunt, nec praeter virtutem exemplarem maiorem habent. sed  
 salua res est. quod fieri non poterat, nec probatum dedit.  
 differt a satisfactioe passiuua actiuua, licet redemptionis opus  
 vtramque requirat. de vtraque igitur etiam, quod non suc-  
 cessiue illa, sed in instanti seu vnico temporis momento per-  
 acta fuerit, euincere conatus fuit. praecedat actiuam satisfactio  
 passiuua. gemino eius intuitu insurgit argumento, ex satisfac-  
 tionis passiuuae indole altero; altero ex dictis nonnullis S. S.  
 desumpto. illam quomodo sibi concipiat, haec docent:  
*der Zorn Gottes, inquit, fodert von den Sündern unendliche Strafen.  
 Jesus mus also nothwendig unendliche Strafen erduldet haben. s)  
 Unendliche Strafen sind überhaupt, welche so gros sind, das sie nicht  
 grösser seyn können; entweder durch die Länge ihrer Dauer, oder durch  
 die Grösse der schmerzhaften Empfindungen; unendlich lange; unend-  
 lich grosse. t) Wir können uns die Sünden eines einzigen Menschen  
 allein, oder aller Menschen zusammen genommen, als die Ursachen einer  
 unendlichen Strafe gedenken. Es wird uns erlaubt seyn, im ersten Falle  
 es eine relatiuische, im zweyten eine absolute Unendlichkeit der Strafen  
 zu nennen. v) Der Tod Jesu ist das Ende aller seiner Leyden.  
 Er kan also unmöglich ewige (unendlich lange) Strafen erduldet haben.  
 Weil Jesus alle Menschen erlöset hat, so hat diese Erlösung nicht anders,  
 als durch unendlich grosse Strafen, und zwar absolut unendliche geschehen  
 müssen. x) Jesus mus also alles dasjenige in der Zeit gelitten haben,*  
 was

s) l. c. §. 6. p. 36.

t) §. 7. p. 36.

v) §. 10. p. 37.

x) §. 10 p. 37. 38.

was alle Sünder in Ewigkeit hätten leyden sollen. Dieses kan auf keine andere Art geschehen seyn, als 1) JESUS mus sich auf einmal alle Sünden aller Menschen, mit allen ihren bösen Folgen in ihrer völligen Abscheulichkeit auf das allerdeutlichste vorgestellt haben. 2) Mus er in die Zurechnung aller dieser Sünden und ihrer bösen Folgen gewilliget, und sie als seine eigene angesehen haben. 3) Die Einwilligung in die Zurechnung aller Sünden aller Menschen muste JESU eine Empfindung aller der Schmerzen erwecken, welche alle Sünder um aller ihrer Sünden willen in Ewigkeit hätten leiden sollen. 4) Die menschliche Natur JESU hat in die Zurechnung dieser Sünden entweder nach und nach, oder auf einmal gewilliget. Was war es nötig, sich diese Sünden allmählig eine nach der andern zurechnen zu lassen, da die allerdeutlichste Vorstellung aller zuzurechnenden Sünden auf einmal da war? was für Gründe hätten bey einer allmähligigen Zurechnung einer Sünde vor der andern den ersten Platz geben können? Wie können wir glauben, das JESUS eine solche allmählige Zurechnung in der kurzen Zeit seiner irdischen Walfarth habe vollenden können, wenn wir das unzählbare Heer der menschlichen Sünden erwägen? wenigstens hätte er alsdenn keinen Augenblick seines irdischen Lebens ohne den empfindlichsten Schmerzen seyn können, welche ihm die Zurechnung einer jeden besondern Sünde erwecken muste? Wie stimmt dies mit der Lebensbeschreibung JESU überein? Die Einwilligung JESU in die Zurechnung aller Sünden aller Menschen mus also auf einmal geschehen seyn. Diese legte den Grund zu den genugthuenden Schmerzen. Folglich mus die ganze Erlösung JESU in einen Zeitpunkt fallen. 2) Der Endzweck der Leyden JESU war unsere Erlösung. Diese konte auf einmal geschehen. Wir konten also GOTT unmöglich von der Grausamkeit frey sprechen, wenn er JESUM die ganze Zeit seines irdischen Lebens mit der schmerzbringenden Erlösung beschaeftiget haette, die er auf einmal in einem kurzen Zeitpunkte verrichten konte. So wenig wir also GOTT einer Grausamkeit beschuldigen, eben so wenig duerfen wir auch die Zeit der Erlösung ueber einen gewissen Zeitpunkt des Lebens IESU ausdehnen, in welchem unsere Erlösung geschehen ist, a) cum mihi haud liceat esse prolixo, omisso, quae philosophemati huic immixta passim, atque in ἰσοτόπωσι ὑγιαίωνων λόγων valde impingere deprehenduntur, in iis, quae causam hanc proxime adtingunt, subsisto. ad satisfactionis, quam doctissimus dissentiens

y) §. II. p. 38. 39.

z) §. 13. p. 41. 42.

a) §. 14. p. 42.

sentiens sibi effigauit, ideam cuncta recidunt. si praeter poenas aeternas, quod ipse arbitrat, illa nil requirit; si taedia, quae meditationem peccatorum, CHRISTO nostrum loco imputatorum, a CHRISTO institutam non potuerunt non comitari, a poenis aeternis, quas pro peccatis illis luere debuit, non differunt, in instanti, ingenue largior, satisfactio illa, quam praestandam sibi sumserat, praestari a CHRISTO potuit; et si peccata illa eorumque reatum non prius, quam sub trihorium illud tenebrarum percontatus est, in illo solo, non vitra illud temporis illud momentum, quo satisfactionem illam perfecit, ponendum est. sed aut vehementer fallor, aut satisfactionis haecce idea admitti nequit. fallit doctissimus dissentiens, quando I. ad poenas tantum aeternas satisfactionis hoc opus restringit. sustinuit illas CHRISTVS vere, et recte sustinuit, quod, nisi etiam illas perpeffus fuisset, non consummata fuisset eius redemptio. sed praeter illas perferre etiam debebat poenas temporales, mortem temporalem, calamitatesque illas omnes, quibus lapsu commisso cinctum se hodie intelligit genus humanum. ad stipendium enim peccati malane haec morte et gratiae et aeterna nil minus pertinent ROM. VI. 23. V. 12. sqq. I COR. XV. 21. GEN. III. 16. sqq. ? cuius non partialem, sed totalem DEVS a CHRISTO exspectabat solutionem JES. LIII. 4. sqq. IOA. I. 29, quam etiam praestitit I TIM. II. 6., non nisi imperfecte vero parasset, nisi mortem etiam temporalem, et quae ad illam disponunt, mala huius seculi expertus fuisset. II. aperte, quae distinguenda maxime sunt, miscet, quando sensationes illas ingratas in CHRISTO ex pensitatione malorum propter peccata mundi sibi imminentium subortas cum perceptionibus illis eadem habet, quas vindex ille peccatorum in anima ipsius tum elicit, cum acerbitalis illud omne virus, quod decretum redemptori fuerat, in illum euomuit. a taediis enim illis, quae poenarum imminentium meditatio excitat, poenarum sensum ipsum maxime discrepare quis nescit? horret homicida poenam, quam capiti suo imminere nouit, summoque propterea conficitur moerore; sed poenae tamen ipsius sensum prius non habet, quam cum infligitur ipsi. meditatus igitur quamuis redemptor poenas a se luendas, summaque propterea correptus

reptus fuerit tristitia, sensum tamen illarum prius non habuit, quam cum ipso opere illis contunderetur. scripturae denique III. aperte contradicit, quando ad vnicum atque ad illud praecise temporis momentum, quod tenebrarum trihorium constituit, omnem, qua peccata sibi imputata eorumque reatum christus contemplatus fuit, meditationem reiicit. circumspexit tum illa, quod derelictum a deo se tum arbitratus fuit MATT. XXVII. 46., sed iam antea illa pensitauerat, cum subobscurè partim IOA. XIV. 30. 31., partim pectore satis aperito, quae hierosolymis ipsum expectent mala LVC. XVI. 31. sqq., cibumque suum esse, vt eius, qui ipsum miserit, voluntatem faciat, eiusque opus perficiat IOA. IV. 34., patremque, vt animam ponat, ipsi praecepisse IOA. X. 18, discipulis, matri vero decem annorum puer se in iis esse oportere, quae patris sui sint LVC. II. 49., declararet. sed quae ex satisfactio- nis passivae indole concipi ita nequeunt, scriptura forsàn duce credi debent. ita MEIERS. ad scripturam enim se etiam recipit, vt in instanti, non successiue christum pro nobis passum fuisse probet. sed quod infitias ire nequeo, ex pumice citius aquam, quam ex illis, quae allegat, dictis id, quod exinde deducere tentat, expresserit. I. ad preces christi MATT. XXVI. 39. obuias: *pater mi, si possibile est, transeat a me calix hic*, prouocat. *durch den Kelch*, inquit b), *versteht hier Iesus ohne Zweifel seine genugthuende Leiden. durch die Bitte, dasz diese Leiden von ihm gehen moegten, kan Iesus nicht verlangen, dasz er von der auf sich genommenen Erloesung der Menschen gaenzlich moegte befreyet werden. Wie koente eine solche Bitte mit der Freywilligkeit vnserer Erloesung bestehen? Das Wort im Grundtexte zeigt auch nicht allezeit eine gaenzliche Waegerung einer Sache an. Iesus bittet also von seinem Vater, er moegte seine genugthuende Leiden, so geschwinde uebergehen lassen, als moeglich waere. Die Schrift versichert vns, dasz diese Bitte Iesu von Gott sey erhoeeret worden. Ebr. V. 7. Vnsere Erloesung muosz also in einer so kurzen Zeit geschehen seyn, als moeglich war. Nun war es moeglich, dasz sie auf einmal in einem kurzen Zeitpuncte geschach. Folglich darf sie auch nicht ueber diesen Zeitpunct ausgedehnet werden.* de passionibus igitur satisfactoriis poculum interpretatur, sed non illum

C

voci

b) §. 15. p. 45.

vocis παρελθέτω vult significatum, quo auertere rem prorsus ab aliquo denotat, sed illum, quo celerrimum rei transitum, celerrimumque rei expeditionem inuoluit, ratus, non passiones satisfactorias ipsas, sed longiorem tantum illarum sensum christum hic deprecatum fuisse, in quo, cum fieri id potuerit, a patre etiam exauditus sit HEBR. V. 7, indeque esse, vt instantanea, non successiua adpellari debeat satisfactio eius passiuā. num in instanti redemptionis opus totum absolui potuerit, vidimus. sed nil quicquam etiam opus est, vt de verbi παρελθεῖν significatu hic disputemus. cuncta eo redeunt, vt quasnam redemptor deprecatus fuerit passiones satisfactorias, futuras; an quae iam tum ipsum impetierant, cum preces has funderet, definiatur. si illas, doctissimus dissentiens quod disputat, forte habet: si has, locum hunc frustra prorsus allegauit. iam quid sentiat, non quidem exposuit; sed cum non alias tamen, quam trihorias illas passiones agnoscit satisfactorias, quin de his calicem illum expositum velit, ambigi nequit. habet etiam, quod infitari nolo, et magnae quidem existimationis interpretes, qui cum illo faciunt. sed nec desunt tamen, quibus alterum arridet, et quibus me iungere nullus dubito. de calice christus loquitur, non futuro, sed praesente: παρελθέτω ἀπ' ἐμῆς τοῦ ποτήριον τούτου; *transseat a me calix hicce.* de passionibus ergo non futuris, sed iis, quas iam tum sentiebat, de dolore, de moestitia c. 37., de moestitia totius suae animae ad mortem vsque c. 38., de moestitia vnius horae, atque illius quidem, qua preces illas precabatur, MARC. XIV. 35. loquitur. nil ad rem igitur faciunt hae preces, cuius causa commemoratae sunt. siue auersionem, siue celerrimum transitum passionum illarum redemptor illis efflagitauerit, nil tamen inde pro operis redemptorii vel successiua, vel instantanea expeditione colligi potest. pergamus ad cetera. prouocat II. ad I PETR. III. 18, et quod ἀπαξ pro peccatis christus ibi dicatur passus, vt, quod in instanti (auf einmal) id contigerit, inde colligat. *Die Schrift, inquit c), versichert uns, Iesus habe einmal fuer unsere Sünden gelitten 2 Petr. III. 18. Fuer unsere Sünden leiden kan hier nichts anders heissen, als die Strafen*

c) §. 16. p. 43. 44.

fen vnserer Suenden erdulden. Nach diesem Ausspruche hat also Iesus die Strafe vnserer Suenden auf einmal erduldet. Er koente sie aber vnmoeiglich auf einmal erduldet haben, wenn die Erduldung dieser Strafen in verschiedene Zeitpuncte getheilet gewesen waere. Wenn sie auch nur in zwey getrennete Zeitpuncte siele, so haette Iesus nicht ein, sondern zweymal fuer vns gelitten. Die Erduldung vnserer Suendenstraffen musz also in einem einzigen Zeitpuncte des Lebens Iesu auf Erden eingeschlossen vnd auf einmal geschehen seyn. Folglich faelt vnser ganze Erloesung in einen einzigen Zeitpunct, vnd ist auf einmal geschehen. quam vellem, vt, quem vocabulo ἀπαξ ita tribuit, significatum rite probasset. quod, postquam contigit, repetitum non est, ἀπαξ, semel, aliquando euenisse dicitur. sed eadem voce an etiam hoc, quod quicquid ita accidit, euenit in instanti, vno actu, non successiue, insinuatim vniquam fuerit, valde dubito. adpellantur, quorum ad poenitentiam renouatio impossibilis pronuntiat HEBR. VI. 4. ἀπαξ Φωτισθησες; expectasse item DEI longanimitas ἀπαξ in diebus NOAE, cum adpararetur arca, dicitur I PETR. III. 20. quid ergo? illorum illuminatio num in instanti seu vno actu producta; aut longanimitas illa DEI ad breue adeo tempus, quale actui sufficit instantaneo, restricta fuerit? quidquid sit, hic saltem significatus ille exulat. nil enim ad scopum facit apostoli, cui, cum in eo positus erat, vt exemplo quodam animum adderet illis, qui licet iusti, calamitatibus tamen variis adfligebantur, obtinendo sufficiebat, vt christum iustum ἀπαξ aliquando pro iniustis itidem passum commemoraret, omisso prorsus tempore temporisque illo interuallo, quo illi id acciderit. ad vnicum tandem III. christi sacrificium, quo expiasset is nos HEBR. VII. 27. IX. 12. 26. X. 10-14. dicitur, nos ablegat, arbitratus, non semel, sed pluries christum pro nobis passum fuisse, in instanti seu vnico actu nisi facta credatur eius redemptio. Die Schrift, inquit d), vergleicht Iesum mit dem Hohenpriester vnd den Priestern des alten Testaments, vnd ruehmet als einen Vorzug Iesu vor jenen, dasz er durch ein einziges Opfer eine ewige Erloesung erfunden, da jene erst fuer sich selbst opfern, vnd auch die Opfer fuer das Volck wiederholen

d) §. 17. p. 44 45.

*musten Ebr. VII. 27. IX. 12. 25. 26. X. 10-14* Das Opfer, wo-  
 durch Iesus uns eine ewige Erloesung erfunden hat, begreift nach dem Ge-  
 staendnisse aller unserer Gottesgelehrten, die Suendenstrafen, die er zu  
 unserer Befreyung erduldet hat. Wir wuerden also nicht eins, sondern  
 mehr Opfer fuer unsere Suenden haben, wenn Iesus in verschiedenen  
 Zeitpuncten fuer unsere Suenden gelitten haette. Iesus hat uns aber  
 durch ein einziges Opfer erloeset. Folglich musz auch unsere ganze Erloe-  
 sung in einen einzigen Zeitpunct fallen. haberet vir plur. reue-  
 rendus, quod intendit, si passionem christi quamcumque ge-  
 neris humani expiationi sufficientem arbitraremur. sed adin-  
 git nobis, quae nostra numquam fecimus, si talia nobis im-  
 putat, nec latere id ipsum potuisset, si, quae de passionum  
 christi infinito valore cum socinianis disputamus, recor-  
 datus fuisset. passus fuit christus inde a natiuitate poenas  
 temporales; passus etiam fuit mortem et gratiae et aeternam  
 sub finem vitae; sed nisi mors etiam intercessisset temporalis,  
 redemptio non extitisset. tentasset illam christus; sed tenta-  
 tam non perfecisset. sacrificasset DEO pro nobis, sed inchoa-  
 tiae, non vero perfecte. vt sacrificium vnicum, quod iustitia  
 DEI pro nobis exigebat, peractum esset, totus passionum ille  
 cumulus, qui redemptorem tandem opprimebat, superatus esse  
 debebat. sed nec in instanti, sed successiue ita offerri illud po-  
 terat, nec multiplicatur illud, licet passiones vna plures christum  
 temporis successu pertulisse adfirmemus. vt, quod christi  
 sacrificium a PAVLO dicatur vnicum, taceam, non quod vni-  
 cam illud poposcerit passionem; sed quod pro genere hu-  
 mano id tantum, non vero pro se, et quod non nisi semel, nec  
 repetitis vicibus, quemadmodum V. T. sacrificia perage-  
 bantur, illud DEO obtulerit. de satisfactione hactenus  
 disputauimus passiuam. superest, vt actiuam quoque, atque  
 qua ratione, quod in instanti illa, non successiue a CHRISTO  
 praestita sit, doctissimus MEIERVS perfecit, dispiciamus. vni-  
 co rem totam expedit argumento. impossibilem scilicet legis  
 illam, quae successiue a CHRISTO pro nobis facta sit, imple-  
 tionem pronuntiat, possibilem autem, quae in instanti ab ipso  
 absoluta sit. probat vtrumque, sed hypothese praestructa hac  
 gemina, 1) quod christus, legem pro nobis implendo, non  
 praece-

praecepta tantum legis vniuersalia, siue quae a singulis hominibus obseruanda sunt, sed ea etiam, quae particularia seu specialia audiunt, nec singulos, sed quosdam tantum homines, eos scilicet, quorum conditio talis est, qualis ab illis supponitur, obligant, praestiterit. e) 2) quod non in sanctitate christi externa sanctisque eius operibus externis quaerenda sit legis illa pro nobis ab ipso praestita impletio, sed sanctitate interna, seu sola inclinationum ipsius cum lege exacta conformitate, idque partim ideo, quod legi, qua singula, quae hominibus imponit, officia ipso opere perfecte atque complete satisfaciendi numquam nactus fuerit occasionem; f) partim ea de causa, quod quanta quanta etiam sit sanctitas CHRISTI extetna, tanta tamen non sit, vt opera illa sancta, quae abs omnibus omnium generum hominibus ex legis praescripto sunt perficienda, sed illa sola ambitu suo comprehendat, quae prophetae, atque eiusmodi quidem prophetae, qualis ipse fuerit, ex legis praescripto incumbant. g) hoc enim posito christum non successiue legem pro nobis implere potuisse, partim inde, quod absque omnium causa mouente, christus ad hoc potius, quam aliud legis praeceptum inclinasse dicendus sit, partim ex eo colligit, quod vitae christi curriculum adeo breue productioni illi successiuae inclinationum illarum omnium, quas abs omnibus omnium generum hominibus lex requirat, haud suffecerit h). in instanti vero quo etiam doceat, legem pro nobis a christo impleri potuisse, cum quid ab illo, qui tale quid conetur, requiratur, tum christum ad id perficiendum bene compositum fuisse probat. praestat ex ipsius mente obedientiam hanc instantaneam legi, qui omnia omnium hominum officia distinctissime cogitat, eademque sibi imposta esse iudicat, summumque in illis beneplacitum habet, sine vlla inclinatione contrarium faciendi. i) sed nec virtute haec perficiendi destitutus

C 3

fuit

e) §. 22. p. 47.: *Ausser den algemeinen Pflichten schreibt das Gesetz einem jeden Stande, ja einem jeden Menschen nach seinen besondern Umständen, auch noch besondere Pflichten vor. Jesus der das Gesetz für alle Menschen erfüllet hat, muss nicht nur den algemeinen, sondern auch allen besondern Pflichten aller Menschen ein Genüge gethan haben.*

f) §. 23. p. 47.

g) §. 24. p. 47. 48.

h) §. 25. p. 48. 50.

i) §. 26. p. 50.

fuit christus. vt homo imposita sibi esse officia illa iudicare facile poterat; qua deus vero non tantum omniscius erat, sed in omnia etiam bona, quorsum opera etiam legis pertinent, propendebat. praestitit ergo obedientiam illam vere. k) laudarem ingenium, si quae audiuius, aequae essent solida, ac subtiliter sunt excogitata, vestigia tamen, quod nec diffitetur, l) legit max. VEN. DOM. D. SCHVBERTI, cui praemium etiam debet, quod impetrauit. quid in illis desiderem, paucis dicam. fallit, cui ratiocinium totum inaedificauit, hypothesis: christum, quando legem pro nobis impleuit, non legis tantum officia absoluta, sed hypothetica etiam expleuisse. si quod negari enim nequit, passus pro nobis christus perfecte atque sufficienter fuit, licet poenarum temporalium atque corporalis mortis genera non omnia atque species singulas gustauerit, quis legem ipsum pro nobis perfecte impleuisse dubitauerit, praeceptorum legis licet non generibus atque speciebus omnibus ac singulis, sed illis tantum, quibus pro circumstantiarum vitae suae ratione morem gerere tenebatur, ipso opere satisfecerit? opponit scriptura obedientiam CHRISTI inobedientiae ADAMI, atque illa restauratum fuisse, quod hac deperditum fuerat, adfirmat ROM. V. 19. non alia igitur fuerit obedientia legi a CHRISTO praestanda, quam quae fuit illa, in qua ADAMVS defecit. hunc autem quis imperfecte tantum legem impleuisse dixerit, si, qui praefixus ipsi et in ipso toti etiam generi humano erat, probationis termino elapso non deliquisse quidem, sed praecepta tamen singula legis ipso opere nondum expressisse, atque operibus legis tam absolutis, quam hypotheticis ipso facto sese nondum conformasse deprehensus fuisset. si quid video, plur. reuerendo DOM. MEIERO idea, quam de impletione legis *pro nobis* praestanda sibi formauit, imposuit. a nobis, simul sumtis, si illa praestari hodie deberet, necesse, nullus nego, esset, vt non officia tantum absoluta, sed hypothetica etiam, atque haec nullo excepto explerentur. sed idem isti quoque incumbere, qui nostram agit causam, nondum probatum video. cum a quolibet homine seorsim spectato DEVS ad certum tantum temporis spatium obedientiam perfectam postulat, vt vitam ipsi largi-

k) §. 27. p. 51. 52.

l) §. 26. not. \* p. 50.

largiatur aeternam, habet, qui vices eius in se suscepit, quod obedientiae illi substitui potest, si legem is numquam transgressus fuit; et si infinitudine is gaudet, tantum obedientia illius et plus valet, quantum obedientia ab ipsis hominibus iisque omnibus ac singulis praestita valere umquam posset. si igitur, quod dissentiens doctissimus non negat, CHRISTVS legem perfecte seruauit, licet deficiente occasione singula opera legis ipso non facto expresserit; si, quod itidem is confiterur, DEVS is est, quid opus erat, vt officia is pariter hypothetica, ac absoluta opere quodam exprimeret, vt legem pro nobis perfecte is impleuisse reputaretur? aequipollebat obedientia ipsius isti, quam nostrum quilibet praestare tenebatur, nec desiderari amplius quid poterat, vt vitae aeternae iterum scriberemur heredes. confidamus igitur etiam in illa, nec aliam, aut redemptionem etiam talem, quae in instanti et in cruce sub tenebrarum demum trihorium et inchoata et absoluta fit, quaeramus. generatim autem caueamus, ne ingenio nostro nimis indulgentes ad praecipitia delabamur, spretisque iis, quae salutis genuinum fontem recludunt, talia, quae nil promittere nobis queunt, sectemur. scripsit sibi hanc legem, quam numquam non etiam sequutus est, frater longe mihi carissimus, DOM. IOANNES IACOBVS QVISTORPIVS, metaphysices in hac alma PROFESSOR P. O. ad aedem D. NICOLAI PASTOR, reuerendissimoque ac serenissimo lubecensium episcopo, flesuicensiumque ac holsatorum duci a iudiciis sacris. loquitur id dissertatio ipsius inauguralis, qua viam sibi ad summos in theologia honores munit. loquitur idem integrum vitae ipsius curriculum, quod ex inueteratae consuetudinis lege his enarrauit verbis:

IDEM, quod domicilium iam mihi iterum praebet, ROSTOCHIVM, et patria mihi obtigit, natusque ibidem sum 1717. d. 19. MART. quibus maioribus id factum sit, paucissimis tantum indigito, quum copiose satis referat de illis programma, fratris amantissimi et ad hunc actum decani dissertationi inaugurali a VIRO SVMME VENERABILI. DOM. IOAN. CHRIST. BVRCMANNO, S. S. TH. D. et PROF. FAC. THEOL. nee non COLLEGII PROF. SENAT. SENIORE, ad aedem SPIR. S. pastore, et REV. MINIST. H. DIRECTORE, praeceptore, fautore, et auunculo meo summo opere colendo scriptum. *parentes venera-*

*tus*

tus sum LAVR. GODOFR. QVISTORPIVM , mercatorem , fenatorem , et adfessorem iudicii , quod gewetta audit , et ANNAM MARIAM BERGEN , in cuius placide defunctae locum concessit postea superstes hactenus , et diuissime precor , indulgentissima nouerca , DOM. REGINA DOROTHEA BVRCMANNIA. auus mihi existit , *paternus* quidem , IOAN. NICOL. QVISTORPIVS , theol. in hac alma doctor et professor , coetus nicolaitani pastor , et huius vrbs superintendens , *maternus* vero , IACOBVS BERG , aromatarius et mercator conspicuus . *prior* thori socias habuit MARGAR. ELISAB. BERCKOVIAM , quae praeter alios liberos et patrem meum ipsi peperit , et post huius e vita discessum ANNAM CHRISTINAM LENTEN . *posteriori* matrimonio iuncta fuit ANNA ELISAB. LVSCHOVEN . *proauus* ex patre mihi fuit IOAN. QVISTORPIVS , theol. item doct. et profess. ad aedem iacobaeam pastor , et R. M. director , qui SOPH. SCHARFFENBERGS vxorem salutauit . accedit *abauus* eiusdem nominis , IOAN. QVISTORPIVS theol. non minus doct. et profess. ecclesiae marianae pastor , et huius vrbs superintendens , cum coniuge BARBARA DOMANNIS . neque silentio denique praetermittendus erit *atauus* , et communis omnium QVISTORPIORVM rostockiensium parens , IOACHIMVS QVISTORPIVS , inferioris quidem ordinis , honestus tamen huius vrbs ciuis , balantiopaeus scilicet , ex episcopatu fortasse lubecensi , quod et praedium QVISTORP , VTINO vicinum , et varios eiusdem nominis agricolas vel hodiernum habet , oriundus , cui sociata fuit CATHARINA DVMRATHS .

HIS igitur a maioribus editus , et ipso plurium ex illis exemplo , facile a prima statim infantia me excitari passus sum ad litterarum , earundemque sanctiorum , studia . quod quum senserunt , quibus eo nil magis in votis erat , parentes : solliciti quam maxime fuerunt , vt tam educatione proba , quam iusta institutione ad genera studiorum isthaec tempestiue praepararer . frequentare hoc sine primum me iusserunt scholas priuatas DOM. GRIMMII , cantoris tunc nostri , et a pluribus nunc retro annis *sundenfis* dexterrimi . domesticos post ea mihi constituerunt praeceptores , BADENDIECKIUM , in ipsis parentum aedibus vira functum , AHLEFELDIUM , et GLASERVUM . vsi denique sunt opera IOAN. GABR. KINDLERI , philof. magistri , et scholae postea cathedralis rigensis rectoris meritissimi , ad ea explenda , quae ex studiis ad humanitatem pertinentibus deesse mihi adhuc videbantur

bantur. singulis his praecceptoribus, eorumque institutioni fidae, quantum debeo, grata semper recolam mente.

INGRESSVS vix eram XVIII aetatis annum, quum inter ciues academicos cooptrarer. acceptum illud refero b. HERM. CHR. ENGELCKENIO, SS. TH. D. et PROF. et ad D. IOANNIS ecclesiasti, qui 1734 d. 28. aprilis studiosorum albo nomen meum inferebat. quo facto impigre me ad studia academica accinxī, in iisque integrum quinquennium, et quod excurrit, hic quidem loci, consumsi. ita autem simul mihi licuit esse beato, vt nulla fere in re adspiranti ad solidam eruditionem mihi deficerent doctores famigeratissimi, et de vtraque, tam litteraria, quam ecclesiastica republica immortaliter meriti. datum mihi fuit, interesse praelectionibus *philosophicis*, *dogmatico polemicis*, *biblicis*, atque *antipietisticis* s. venerab. DOM. D. BVRGMANNI, et ab eodem hoc magni nominis theologo tam examinando, quam disputando acui. iteratis vicibus *logicam*, *metaphysicam*, atque *theologiam dogmaticam* mihi tradidit laudibus meis maior b. DOM. FRANC. ALB. AEPINVS, SS. THEOL. D. et P. P. O. FAC. THEOL. t. t. senior grauissimus, et SERENISS. DVCI. MECKLENB. a consiliis consistorii. audiui item b. DOM. D. ENGELCKENIVM, iam antea laudatum, in *classica*, quae vocant, *SCRIPTVRAE oracula* exegetice et porismatice commentantem; et cum fructu me illum audiuisse gratus memini. doctores praeter ea optimos fidelissimosque expertus sum, in *philologicis*, lingua speciatim, atque *antiquitatibus hebraicis*, excellentissimum atque experientissimum DOM. PAVL. THEOD. CARPOVIVM, medic. doctorem et LL. OO. atque catecheseos christianae P. P. O. celeberrimum, fautorem et collegam nunc aestumatissimum; in *stilo cultiori*, *logica* recentiori, et *homiletica* b. M. IOACH. HENR. BVRGMANNVM, qui postea temporis templo parochiali guestrouienti pastor praefuit; in *wolfiana* item *metaphysica* et *iure naturae* b. KOEHLERI illustrem DOM. IO. FRID. BERG, I. V. tunc doctorem, nunc SERENISSIMO DVCI nostro regnanti a consiliis iustitiae. allaboravi autem simul, vt publice innotesceret, non perdidisse tot tantosque viros in me erudiendo operam et oleum. id quod efficere studui, partim frequentibus pro concione recitatis orationibus sacris, partim exercitiis disputatoriis, publice etiam et in auditorio maiori, primum quidem praeside b. DOM. M.

D

BVRG-

BVRGMANNO super *theses philosophicas* typis exscriptas 1737, deinde vero et anno insequente, illustr. BERGIO moderante, super b. KOEHLERI *exercitationes iur. natur.* institutis, et singulis mercurii sabbathique diebus habitis; partim vero commentationuculis quibusdam in publicum prodire iussis, quarum prima, nuptiis BVRGMANNO STEINIANIS dicata, *virginum nupturientium lacrymas* vernacula lingua 1736 sub censuram vocabat, secunda, S. R. DOM. D. BVRGMANNO primum academiae rectoratum 1736 gratulabunda, quaestionem: *de influxu luctae poenitentium in articulum de satisfactione CHRISTI* excutiebat, tertia, b. DOM. D. AEPINO, regimini academico 1739 denuo admoto, inscripta, in *perruptiones spirituales*, vulgo *den durchbruch* inquirebat, et haud indigna fuit visa b. DOM. M. BVRGMANNO, quam totam infereret *der noethigen Gegen-Antwort auf des Herrn Pastor EHRENFORTS so genannten abgenoethigten Beantwortung*, praef. p. 113 sqq.

ABSOLVTO sic in academia patria integro quinquennio, exteras quoque academias visendi cupidine flagrabam, non improbabant quidem eam parentes; consultum tamen cum cognatis ducebant, exlatiandi eius copiam non prius mihi facere, quam per anni spatium desudavissem in formandis atque instituendis pueris quibusdam generosis. ad voluntatem hinc illorum lubens subii, quod a VIRO generosissimo, DOM. CAIO FRID REVENTLOVIO, ALTENHOFII, GLASOVII, et DOERPFOFII in ducatibus SLESVICO HOLSATICIS domino, cum lauto stipendio offerebatur trium ipsius filiorum instituendorum munus, relictoque mense julio 1739 ROSTOCHIO per WISMARIAM, LVBECAM, et KILONIVM migravi ALTENHOFIVM prope ECKERNFOERDIAM situm, ibidemque per constitutum mihi anni spatium haesi, demandatam mihi curam strenue, et cum laude, opinor, gerens, et horas subsecivas partim legendo meditandoque, partim elaborando orationes sacras, tam ECKERNFOERDIAE, quam SLESVICI et in arce GOTTORPIA habendis, consumens. elapso autem anno isthoc pedagogi onere liberatus, excurri primum ad nobilissimum ducatus slesvicensis emporium FLENSBVRGVN, indeque rediens KILONIVM atque HAMBVRGVN petii, et utrobique locorum per aliquod temporis spatium commoratus, ad academiam salanam contendendi, instituto per MAGDEBVRGVN et LIPSIAM itinere,

IENAM

IENAM m. Septembr. 1740 delatus, eiusdemque ciuibus literatis a s. venerab. DOM. D. WALCHIO dicti mensis die 13 adscriptus sum. quo facto totum me denuo studiis academicis dicaui. audiui *mathesin* docentem cel. FVCHSIVM, medic. D. in *philosophicis* praeceptorem inueni celeb. CAR. GOTTH. MVELLERVUM, eloqu. et poeseos iam P. P. O. qua *physicam* ex ore b. GE. ERH. HAMBURGERI pependi. in *graecis* consului celeb. KRAEVTERVUM, nunc S. S. TH. D. et LONDINI ad aedem S. S. TRINITATIS pastorem. *hebraicas, chaldaicas, syriacas*, nec non *accentuatorias* atque *exegeticas* celeb. IOACH. EHRENER. PEEIFFERI, theologi hodie erlangensis, quo etiam duce omnes theologiae dogmaticae articulos disputando pertractaui, scholas frequentaui. *oratoriae* denique, tam *sacrae*, quam *profanae*, praeceptis imbuendum me tradidi celeb. CASP. IAC. HVTHTIO, theologiae item in praesentia D. et P. erlangensi. singulis ex his eorumque institutioni plurimum me debere, ingenuo atque grato pectore fateor. peculiari autem commemoratione dignum repuro beneficium, quod, quem vltimo loco nominaui, cel. DOM. D. HVTHTIVS in me contulit, ad societatem ienensium teutonicam, posteaquam spei nonnihil de me conceperat ex conscripta a me conterraneorum nomine, et nuptiis *illustr. DARIESI* cum lectissima tunc temporis, nunc ad coelites iam delata, TEICHMEYERIA dicata epistola germanica, cuius haec summa erat: *dasz eine vernuenftige Ehe von keiner Herrschaft wisse*, aditum mihi pandens, et inter eius membra me recipiens. si quae enim in me dicendi vis inest: repetenda ea magnam partem erit ex iteratis perorandi exercitiis, iustisque sociatorum censuris, quibus gauisus sum, famigeratissimae huic societati adscriptus. quae interim, degens in illa, orationes recitabam, ironici, quo delectabar tunc temporis, generis tantum non omnes erant, eorumque aliquot sub rubro: *Spottreden eines Mitgliedes der teutschen Gesellschaft in Iena, herausgegeben von einem Mitgliede der koeniglich deutschen Gesellschaft in Goettingen*, postea temporis prodierunt.

AD patrios lares post trium semestrium inter musas salanas commorationem redire iustus sum. redii igitur: sed per circuitus, ad academias enim lipsiensem, erfurthensem, vitebergensem, et halensem, quum excurrendi iam antea occasionem nactus fuisset: abiturus IENA. ita ordinaui iter, vt primum quidem DRES DAM

atque KOENIGSTEINIUM me conferrem, deinde deflecerem  
HELMSTADIUM, GVELPHERBYTUM, BRUNSVIGAM, LVNAE-  
BURGVM, HAMBURGVM, LVBECAM, et WISMARIAM, atque sic  
demum, visis vbique locorum, quae visu digna erant, salutarisque  
viris eruditis, ad meos deferrer. id quod ipso ASCENSIONIS die  
1742 factum est.

TEMPVS iam aderat, quo, qui discendo haecenus proficere  
studueram, idem quoque docendo tentarem. postulabat id summus in  
philosophia gradus, ad quem AMPLISS. FAC. nostra philosophica  
benigne satis absentem me adhuc, sed in redeundi itinere iam consti-  
tutum, d. 3. april. euexerat. neque minus idem suadebat mentis ad-  
fectus, quo ad academicos prae aliis labores ferebar. redux igitur  
factus composui me nulla interiecta mora ad conscribendam venti-  
landamque publice dissertationem academicam, selecto mihi themate  
antinaturalistico: ipsoque opere, et comite fratre natu minimo, THE-  
ODORO IOAN. QVISTORPIO, iam I. V. D. ciuitatis wismariensis  
senatore, et summi tribunalis regii suecici procuratore, eiusdem anni  
d. 19. septembr. contra MATTH. TINDALIUM *conciliatam cum per-  
fectione et immutabilitate religionis naturalis publice stiti existentiam  
reuelationis.* sequebantur, quas instituebam, praelectiones *logicae,  
metaphysicae, et rhetoricae*, iisdemque, per praematuram licet parentis  
optimi mortem interurbatis, assidue vacauit, vsque dum suauem RO-  
STOCHIO iterum abeundi necessitatem impositam mihi sensi.

NATA mihi ea est, fauente SUMMO NUMINE, ex annua, quae  
iter ienense antecefferat, in ducatus SLESVICO HOLSATIAE com-  
moratione. variis iisdemque praestantissimis viris in terris istis inno-  
tueram, neque minus plerorumque ex his fauorem mihi conciliaueram.  
VIRO speciatim S. R. DOM. CHRIST. THEOPHILO SCHWOL-  
MANNO, ecclesiae friderichsbergensis SLESVICI pariter, atque coe-  
tus sacri in arce GOTTORPIA pastori meritissimo, iam AVGVSTIS-  
SIMO REGIDANIAE a consiliis consistorii, fautori atque patrueli  
pie venerando, vsque adeo carus euaseram, vt patris instar, quod  
grata semper mente inter preces pro incolumitate ipsius recolam,  
bene mihi cuperet. atque illorum opera euenit, vt commendatus  
AVGVSTISSIMO gloriosissimeque hodie regnanti SVEDIAE RE-  
GI, DOMINO ADOLPHO FRIDERICO, electo tunc PRINCIPI  
regni

regni SVECIAE haereditario, EPISCOPO lubecensi, DVCI et ADMINISTRATORI terrarum SLESVICO HOLSATICARVM, ab HEROE hocce in ipsis abitus ad regna SVECIAE diebus, die scilicet 15 iunii 1743 vocatione clementissima ad munus professoris philosophiae extraordinarii in alma kiloniensi bearer. ea igitur accepta, et prouidam NVMINIS de me curam, et insignem PRINCIPIS REGIAE CELSITVDINIS erga me gratiam humillime veneratus, quam primum fieri poterat, vasa conclamaui, et patriae valedicens KILONIVM properaui. adueni autem d. 7. septembr. et demandatum mihi officium professorium post iuramentum d. 28. sept. pro concione splendida DOMINORVM PROFESSORVM praestitum, publice auspiciatus sum d. 30. octobr. solemniter et interpreti TINDALII vernaculo opposita oratione: *de licentia diuulgandi sententias religioni contrarias, legibus iusti et aequi inimica.* quo facto torus in eo fui, vt partes officii rite explerem, et pro virili satisfacerem patronorum expectationi. publice, priuatim, et privatissime, indefessus et plaudentibus omnibus bonis, pluribus per diem horis, *logicam, metaphysicam, theologiam naturalem, ius naturae, stili tam teutonici, quam latini praeepta, rhetoricam,* et quod per indulgentiam S. R. FAC. THEOL. kiloniensis licebat mihi, *theologiam quoque dogmaticam* docui. scriptiunculis praeter ea quibusdam in publicum prodii. et primum quidem, dum DAVOS et BATHYLLOS rostochienales epithalamiis suis vsque adeo luxuriari noueram, vt difficile esset, satyram non scribere: sumto mihi nomine *Marx Wuenschlers, eines wohlbekannten und vieljaehrigen Hochzeitdichters in Rostock,* et nuptiis cognatae cuiusdam anam suppeditantibus, satyram, quae inserta postea me incio fuit *den Leipziger Belustigungen des Verstandes und des Witzes 1744 p. 103. sqq. nec non den critischen Versuchen einiger Mitglieder der deutschen Gesellschaft in Greifswald I Band p. 331. sqq. sub rubro: die Glueckseligkeit der Hochzeitdichter,* in eos conscripsi, atque huc ROSTOCHIVM transmissi 1743. sequebantur meditationes gamicae aliae, eaeque seriae, *von der Trauung und priersterlichen Einsegnung der Eben,* S. R. SCHWOLLMANNO, 1745 ad secunda vota transeunti, inscriptae. accedebat *dissertatio I. generalis: de consensu iuris naturalis praesumpto,* 1746 publice ventilata, quam mecum tuebatur, sustinens respondentis vices, DOM. IOA. FRID. BALTH. WINCKLER, post pastor in agro steenfeldensi prope

HAMBVRGVM, sed ante plures iam annos praepostero casu ex-  
tinctus. edidi denique eodem anno etiam *sylogem orationum sacra-  
rum*, quas, non omnino valedicturus suggestui, in officio licet  
academico constitutus, in templis, modo arcis, modo vrbis kilo-  
nienfis haectenus habueram. coelebs caeterum et commensalis illustr.  
DOM. AMAND. CHRIST. DORN, iuris hodie in academia kilo-  
nienfi D. et P. primarii, MAGNO DVCI RVSSIAE et DVCI re-  
gnanti SLESVICO HOLSATIAE a consiliis iustitiae, nec non PRO-  
CANCELLARII academiae perpetui, fautoris ac amici multis no-  
minibus colendi, post constitutam mihi KILONII sedem primum  
transegi annum. elapso autem illo, d. 16. Octobr. 1744 matrimo-  
nio mihi iunxi virginem tunc temporis lectissimam, et corporis ani-  
miquae dotibus, pariter atque stemmatis dignitate, commendabilem,  
CATHARINAM THRESIAM DALLIN, b. RVDOLPHI MAT-  
THIAE DALLIN, qui in castris regis SVECORVM CAROLI  
XII centurionis cuniculariorum, apud DVCES SLESVICO HOL-  
ATICOS vero machinatoris ciuilibus atque militaris stipendia merue-  
rat, et b. IVSTINAE DOROTHEAE ROEHLINGIAE filiam vnicam, ne-  
ptimque WILHELMI ROEHLINGII, consiliarii primi camerae epi-  
scopalis Lubecensis, cuius suauissimo consortio, prout hodiernum, ita  
et in posterum et quam diutissime frui me sinat D. T. O. M. numerosa  
ex ea proles, eademque vel hoc ipso anno, quod diuiniae gratiae  
confidens spero, augmentum capebitura, mihi nata est, die scilicet  
5. iulii 1746 filiola ANNA WILHELMINA THERESIA; d. 18.  
iulii 1748 filius IOANNES WILHELMVS; d. 25. ianuar. 1751  
filius FRIDERICVS AVGVSTVS; d. 11. nouembr. 1752 filius  
THEODORVS RVDOLPHVS; d. 16. apr. 1755 filius IOANNES  
GODOFREDVS; et d. 20. mart. 1757 filiola THERESIA DORO-  
THEA CARITAS. seruabit eam, precor, quod absque iactura ha-  
ectenus seruauit, SVMMVM NVMEN, eiusque educationi et fatis  
clementissime praesideat.

EGREGIE mihi placebat, vbi degebam, KILONIVM. neque  
ramen, prout in votis erat, constans ibi fixumque inueni domicilium.  
post annos enim quatuor ibidem transactos, anno scilicet 1747, idem  
CELSISSIMVS et REGIVS PRINCEPS, qui clementissime mihi  
demandauerat professorium munus kiloniense, commutare me iussit  
illud

illud eum ecclesiastico, VTINVM mē clementissime vocans, et in locum S. R. DOM. D. ADOLPH. CHRISTOPH. VON ACKEN, qui biennium ante HOLMIAM, optimum PRINCIPEM sequutus, abierat, et in praesentia GINGESTI in insula RVGIA praepositi munere summa cum laude fungitur, fautoris et amici mei longe aestimatissimi, ad dignitates concionatoris aulici et consilii ecclesiastici me euehens. mente deuotissima hanc indulgentissimi PRINCIPIIS voluntatem, conspicuumque in ea SVMMI NVMINIS nutum veneratus sum, et morem vtrique gesturus, post petitam humillime, post impetratam item ab HERO meo, MAGNO RVSSIAE DVCE et SLESVICI et HOLSATIAE DVCE regnante missionem, almae kiloniensis m. iunio 1747 valedixi, VTINVMQVE commigraui. publice et inter preces ibi d. 4. iulii ad nouum idemque sacrum munus inauguratus sum, ipsoque opere illud DOMIN. VI. TRINITATIS adii, habita pro concione oratione in I. COR. II. 1-5, quae typis quoque confestim exscripta est. constitutus autem in hoc officio nihil intentatum reliqui, quod ad eius partes rite explendas facere poterat. de erudendis ad salutem auditoribus perquam sollicitus fui, multumque laboris tribui orationibus meis sacris, et eo directis. testatum, spero, dabunt id quatuor illarum fasciculi, qui annis 1748, 1749, 1751, et 1752 HAMBVRGI prodierunt, celeberrimaeque SOCIETATI regiae teutonicae, quae GOETTINGAE floret, ansam suppeditarunt, inter membra ipsius honoraria diplomate, d. 10. ianuar. 1750 scripto, me coprandi, et, quae ad illos accessit, *orationum sacrarum in omnes epistolas dominicales atque festiuales collectio* completa, et binis voluminibus VTINI 1754 edita. neque tamen perorando tantum gregi fidei meae concreditae prospexi. catechisandi negotium quum saluberrimum semper mihi visum fuerit, vt coniungere mihi liceret illud in horis praecatoriis cum reliquo cultu publico, non modo humillime ipsemet petii a nouo, qui mihi versus finem anni 1750 obtigerat, HERO CELSISSIMO, REVERENDISSIMO ac SERENISSIMO DOMINO FRIDERICO AVGVSTO, EPISCOPO LVBECENSI et DVCE SLESVICO HOLSATIAE, DOMINO meo longe CLEMENTISSIMO, felicissime hodie, faxit et quam diutissime SVMMVM NVMEN, regnante, verum impetrata etiam eius venia ipso opere institui, duce vsus libello catechetico, qui aliquot annis prior sub rubro: *Ordnung des Heils durch den Catechismus Lutheri in ibrem Zusammenhange*

*menhange gefuehret*, SORAVIAE prodierat, et. prae aliis scopo meo consentaneus videbatur, quemque hinc inde immutatum in vsum catechumenorum prelo iterum VTINI 1752 subieci, nuntium praeter ea laboribus academicis, qui in deliciis mihi semper fuerant, non omnino missi, extra academias licet degens. ad studia enim academica praeparavi, primum quidem VIRVM tunc IUVVENEM praestantissimum, nunc MEDICINAE apud lubecenses doctorem experientissimum et practicum felicissimum, DOM. HENR. BALEMANNVM, venerabilis et eiusdem nominis vtinensium anustitis filium natu maximum, postea temporis vero. etiam VIRVM IUVVENEM generosissimum DOM. a RESTORF, generosissimi et perillustri DOM. a RESTORF, in aula episcopali vtinensi architrilini, filium vnicum.

RESTAT, vt de reditu in patriam, et, quae eum partim comitata sunt, partim exceperunt, fatis referam. vergebat ad finem annus 1753, quum nihil tale cogitans ex litteris fratris amantissimi, ad hunc actum decani, intelligerem, esse ROSTOCHII, qui cogitarent de me vocando ad vacuum ex placida morte b. M. IOH. HENRICI LEHMANNI pastorum nicolaitanum. miratus cum voluptate id sum: alienum tamen ab eiusmodi officiorum mutatione memet et sensi, et inueniri passus sum. sed ecce! adferuntur m. iunio anni insequentis litterae VIRI ampliff. et consultiff. DOM. IO. GEORG. BURGMANNI I. V. D. et practici celeberr. et ampliff. prudentissimique SENATVS rostockiensis in praesentia SYNDICI primarii, fautoris, patroni, atque auunculi omni honoris cultu prosequendi, ampliff. prudentissimique SENATVS nomine me sollicitantes, vt ad pastorum vacuum ab ipso praesentari me sinerem coetui nicolaitano, et electus forte atque vocatus eundem in me susciperem, et tantum apud me valuerunt illae, vt aliam paullatim, ac antea, mentem induerem, religioni mihi ducens, interuertere SVMMI NVMINIS consilia, quae non abesse ab hacce causa, et credidi, et expertus sum. post aliquale hinc cum laudatissimo DOM. D. BURGMANNO commercium epistolicum, et impetratam ab HERO et PRINCIPE meo clementissimo, ad quem humillime de iis, quae agerentur, retuleram, eius veniam, non refragatus vltra, cunctaque prouidae ALTISSIMI curae committens, dictam subii et praesentationem, et electionem, certiorque haut ita multo post per litteras amplissimi prudentissimique SENATVS et nobilissimorum domi-

dominorum praefectorum templi factus sum, pastorem suum me  
coetum sacrum nicolaitanum d. 17. Septembr. per suffragiorum  
pluralitatem designasse, et vehementer desiderare, ut quam primum  
praesto adessem, eundemque me ipsi praestarem. mearum omnino  
hoc esse partium, eo quum res deuenisset, facile sensi. quapropter  
nihil moratus et missionem a PRINCIPE clementissimo humillime  
petii, et vocationi nouae me obsequuturum esse, cum intensissima gra-  
tiarum actione vocantibus significauit. veruerunt tamen res dome-  
sticae, et transportandae suppellectilis difficultas, quo minus id fieret  
bimestri tempore citius. eo autem elapso in aedicula arcis vtinensis,  
praesentibus PRINCIPIBUS, pro numerosa aulicorum et ciuium con-  
cione orationem valedictoriam recitavi, dimissusque et a PRINCI-  
PE, quem HERVM meum haecenus veneratus eram, et pia men-  
te aeternum venerabor, in publicum bene meritorum documentum  
consilii consistorii dignitate ornatus, dulcissimo VTINO, ubi ad  
VIII vsque annum haeseram, d. 18. Nouembr. abii, eiusdemque men-  
sis d. 22 hic ROSTOCHII adueni. aduentum sequebatur vocatio so-  
lemnis in curia d. 26. e. m.; praesentatio R. M. d. 3. decembr. facta;  
colloquium cum R. M. super exhibitam a me fidei confessionem bre-  
uem, d. 11. decembr. institutum; introductio ad officium pastorale  
d. 28. ianuar. 1755; oratio aditialis, ipso purific. MARIAE die festo  
habita, paucisque diebus post una cum oratione valedictoria vtinensi  
in publicum prodire iussa; et quae colophonem d. 7. Febr. imponebat,  
receptio in R. M. huius vrbs. redii igitur impigre ad explendas offi-  
cii ecclesiastici noui partes: verum una ad labores academicos redii,  
scholas nonnullas philosophicas aperiens, et libellum, dissertatione ki-  
loniensi inchoatum, *de consensu iuris naturalis praesumpto* diulgans;  
idque eo magis, quod sollicitans me ad muneris locique mutationem  
ampliss. et prudentiss. huius vrbs. SENATVS, academiae nostrae  
COMPATRONVS munificentissimus, professorium simul munus be-  
neuole me expectare iusserat. neque id frustra a me factum esse,  
eodem anno adparuit. inopina enim, attamen beata, morte quum  
extingueretur d. 13. maii VIR quondam S. R. excellentiss. atque am-  
pliss. DOM. PETR. CHR. KAEMPFER, SS. TH. D. metaphys.  
P. P. O. et ad aedem MARIAE ecclesiastes: ampliss. et prudentiss.  
huius vrbs. SENATVS eius in officio academico successorem m. iunii  
me elegit, et professionem metaph. ordin. mihi demandauit, quam quo-

E

que

que, VIRO magnifico, illustri, atque consularissimo, DOM. ERN. IO. FRID. MANZELIO, aacademiae vti hodie RECTORE, ita t. t. PRORECTORE magnifico, introductionis negotium dirigente, die 2. septembr. oratione solemni: *de quaesito frustra in actionibus creaturarum liberis casu fortuito*, auspiciatus sum, et non omnino indigno cessisse ostendi, partim praelectionibus *logicis, metaphysicis, homileticis, et historico ecclesiasticis*, partim oratione solemni, vltimo diei natalitio PRINCIPIS ac DVCIS gloriosae memoriae, DOM. CHRISTIANI EVDOVICI sacra, et programme ad eam inuitatorio, atque AVCTORI anonymo *des Beweises, dasz die Vniversal Monarchie fuer die Wohlfahrt von Europa, vnd veberhaupt des menschlichen Geschlechts die groeßte Glueckseligkeit wuercken wuerde*, opposita; programme item funebri, b. DOM. CATHAR. MARIAE EYLLERN, natae HILLEN, magnifici tunc temporis RECTORIS, DOM. D. IO. BERNH. QVISTORPII nomine scripto, nec non *tentamine emendandi notionem iustitiae leibnitio wolffianam*, plagulis significatoriis suerinensibus vernacula lingua inserto. incessit praeter ea animum cupido, theologicis quoque praelectionibus institutis, et proficiendi magis magisque, et studiosae iuuentuti nostrae inseruendi: eiusque vt copiam mihi faceret S. R. in hac alma FAC. THEOL. enixe rogavi, ad rigorosum ipsi examen me perquam obseruanter offerens, annuit precibus S. R. THEOLOGORVM nostrorum ORDO, et post absolutam a me *orationum sacrarum in omnia euangelia dominicalia et festiualia* editionem, quae moram mihi haut leuem iniecerat, beneuole satis d. 21. nouembr. a. pr. et horis quidem tam ante, quam pomeridianis, non modo ad vtrumque examen me admisit, sed in candidatorum quoque suorum numerum me recepit, potestatem simul conscribendae dissertationis inauguralis mihi indulgens, ea igitur gaudens, hanc, qua in publicum nunc prodeco, commentatiunculam ad verba CHRISTI MATTH. V. 17. litteris consignavi. et dum pro cathedra ventilanda ea est: DEVM precor, vt illam pariter, atque honores theologicos, ad quos viam ista mihi munit, in nominis sui sanctissimi gloriam, et ecclesiae atque academiae nostrae commodam cedere iubeat.

ADNVAT SVMMVM NVMEN precibus hisce quam clementissime! illustrior autem quo fiat actus, qui d. XIV. SEPT. ita instat, solemnis, MAGNIFICVM DOMINVM RECTOREM,  
*illustres*

*illustres ducales dominos consiliarios, utrumque academiae et civitatis  
senatum, o. o. facultatum dominos doctores et licentiatos, verbi divini  
praecones, philosophiae et liberalium artium magistros, uniuersam studia-  
sorum cohortem, ceterosque litterarum et studiorum sacrorum fautores,  
vt praesentia sua illum reddant splendidiorẽ R. FACVL-  
TATIS suoque nomine omni, qua fieri potest, obseruantia  
atque humanitate orat rogatque DECANVS,*




P. P.

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI  
SVB SIGILLO FACVLTATIS THEO-  
LOGICAE


DIE V. SEPTEMBRIS MDCCCLIX.













rorum nihil derogetur. Quorum autem nihili ad-  
iac sententia romanae ecclesiae, quam ipsi ridet,  
vae latinae prospici, si qui in tanta litterarum lu-  
nstra gaudent, argumentis adeo infirmis, qui-  
bus scriptis diudicandis nullum pretium statuerent,  
ae scriptionis MARCI patronos agunt, ipsum co-  
et pragensem a MARCO scribi potuisse arbitrati;  
m HARDVINO negant graecum textum eiusdem  
ue illius actores se constituunt, merito suo in ipsa  
male animati esse videntur, certaeque librorum di-  
m auctoritati diem dicere. Huiusmodi quadru-  
us nihil diuini adeo sacrum est vt non sollicitur,  
conuellatur vel per cuniculos et insidias petatur,  
litteras relati causa certe non cadent. Qui neque  
imo, neque patronis inter homines vnquam ca-  
huic temeritati nefariae fortiter resistendum est a  
modestissimo pacisque studiosissimo. Quod sine  
quam fieri potest. Defensorem enim agis non  
I oracula a criminationibus, conuiciis et vellicis  
Aliis vero, qui in illam sententiam incidunt, non  
volunt, sed quod inusitata et paradoxa depe-  
ularia et eximia existimant, neque has dapes in-  
im enim quis disputare? neque stomachum con-  
haud imparem, atque epistolis caelo delapsis,  
locis seruari dicuntur episcoporum diplo-  
titutae, digerendis suffecturum, si cibus con-  
do nobis liceat fastidiosioribus esse atque ab insi-  
bhorre, illis inprimis vnde rei sacrae et diuinae  
et. Multo minus illos vituperabimus aut impro-  
nus homines ciuitatis litterariae classicos, qui vel  
ni causa errant, vel vbi etiam vere et serio errant  
multa docent, vel vt opinionis alicuius vim aut  
eruti pretium experiantur errores periclitantur.  
er nos errabunt, si dissensum aliorum aequo ani-  
que indigne ferant vt aliarum litterarum doctores  
arcendisque singuli disciplinarum suarum erroribus

the scale towards document



Patch Reference numbers on UTT  
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.